

Patria A

Cui peregrinatio dulcis est non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio, tota die tribulatio, quando in patria non est delectatio.

Augustinus super illud Psalmorum: In die tribulacionis et cetera.

Patria B

Odit valde patriam, qui sibi bona putat cum peregrinatur.

Augustinus super Psalmum 93.

Patria C

Non solum dominus et caput prophetarum qui a Moyse propheta nominatur, sed Helias et ceteri prophete minus in patria quam in ceteris civitatibus sunt honorati, quia prope modum naturale est civis civibus invidere, non enim considerant presenciam viri opera, non virtutem, sed fragilis recordantur infancie quasi non et ipsi per eosdem etatis gradus ad materiam etatem pervenerint.

Beda super illud Luce 4: Nemo propheta in patria sua.

Patria D

Nimis dulcis est recordatio patrie, que in hostili terra probatur existere nam quanto hec amara sentitur, tanto fit illa suavior, de loco enim peregrinacionis proprii domiciliu[m] crescit affectus.

Cassiodorus super illud Psalmorum: Super flumina Babilonis et cetera.

Patria E

Nemo potest diligere quod habitatore intelligit non amore. Unicuique patria suas carior est dum supra omnia salvum fore queritur ubi ab ipsis cunabulis commoratur. Feris datum est agros silvasque querere, hominibus autem fores patrias super cuncta diligere. Aves ipse per era vagantes proprios nidos amant, erratiles fere cubilia dum osa festinant, voluptuosi pisces cavernas suas perquirunt, cunctaque animalia ibi se norunt refugere, ubi longissima capiunt etate constare.

Cassiodorus libro 1. epistola 20.

Patria F

Ut ait quidam, nescio qua natale solum dulcedine cunctos ducit et immemores non sinit esse sui. Magnum virtutis principium est ut discat paulatim exercitatus animus visibilia et transitoria primum commutare ut postmodum possit derelinquere. Delicatus ille est adhuc cui patria dulcis est, fortis autem iam cui omne solum patria est perfectus vero cui mundus exilium est.

Hugo de sancto Victore in didascalicon libro 3. capitulo 2.

Patria G

Nonne exultavit Brutus? Nonne exultavit Eneas? In eorum tamen exilio non degeneravit Troiana nobilitas.

Petrus Ravenniensis.

Patria H

Eque virtutis est et bona patrie auxisse et eius mala in se transferre voluisse.

Valerius Maximus libro 1.

Patria I

Patria enim carere non est malum, quia forti viro omnis locus patria est. Socrates enim non stulte exilii libertatem domestice servituti anteposuit.

Agellius libro 1. capitulo 15.

Patria K

Patriam meam transire non possum omnium una est, extra hanc nemo proiici potest. Non patria michi interdicitur sed locus. In quamcumque terram venio in meam venio, nulla exilium est, sed altera patria est, patria est ubicumque bene est. Illud autem per quod bene est in homine, non in loco est. Si enim sapiens est peregrinatur si stultus exultat.

Seneca de remedio fortunarum.

Patria L

Nemo patriam diligit quia magna, sed quia sua. Ulixes sua saxa Ithace preparat quemadmodum Agamemnon ad Micenarum nobiles muros.

Seneca.